

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput LVII. Continens Historiam De Conversione Et Absolutione Peccatricis  
Et De Simone Pharisæo, Luc. 7. v. 36.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

stinus. Discite à me, inquit, non mundum fabricare, non in ipso mundo miracula facere: sed quia mitis sum & humilis corde. Magnus est vis, in minimo incipe. Cassiodorus. Tanta fuit in sancta incarnatione humilitas, quanta est in-

divinitate incomprehensibilis majestas. Consimilia dicta plura, ex hac Christi sententia desumpta, diligens Lector ipse ex scriptis Patrum colligere potest.

## CAPUT LVII.

## CONTINENS HISTORIAM DE CONVERSIONE ET ABSOLUTIONE PECCATRICES ET DE SIMONE PHARISÆO,

LUC. 7. v. 36.

## RATIO ORDINIS.

**V**eteres variè disputarunt de Unctricibus, quarum historiarum describuntur, Luc. 7. v. 36. & Joh. 12. v. 3. & Matth. 26. v. 7. Quidam enim ordine planè perturbato ex tribus illis historiis unam fecerunt: & ideò Simonem Pharisæum, Luc. 7. v. 40. finxerunt esse Simonem leprosum, Matth. 26. v. 6. Sed circumstantiæ manifestè indicant, tres esse distinctas historias, diversis locis & temporibus factas: Sicuti Jacobus Faber Stapulensis ex sententia Origenis eruditè ostendit, in libello de tribus Mariis, seu Unctricibus.

Hæc verò historia de unctione Peccatricis, habet manifestam ordinis rationem. Nam Matthæus quidem, post legationem Baptistæ, & concionem Christi ad turbas habitam, c. 12. v. 1. commemorat, de evulsis spicis Sabbato, & de sanata manu arida. Quæ vel ipso Osiandro teste, longè ante facta fuerant, & in hoc capite à Matthæo extra suum locum per recapitulationem descripta sunt: sicuti supra, cap. 47. 48. & 49. Harmonia hujus, ex veris fundamentis demonstratum est. Post illa describit Matthæus historiam de sanato Dæmoniaco, cæco & muto, & disputationem prolixam ex illo miraculo ortam. Et sanè hæc paulò post secuta esse nullum est dubium: videndum tamen, num ista continuo post superiora collocanda sint in Harmonia, an verò ex aliis Evangelistis nonnulla inferenda, quæ Matthæus prætermisit. Quia ergo Lucas solus, post concionem illam statim annectit historiam de Peccatrice, absque quidem certa notatione temporis & loci, sed tamen ita, ut apud reliquos Evangelistas nihil extet, quod inferi vel præmitti possit, commodè proximum locum post superiora in Harmonia habet historia illa, de peccatrice conversa & in gratiam recepta. Ita ut meritò præmittatur iis, quæ Matthæus de Dæmoniaco commemorat. Hæc ipsa autem consideratio ordinis etiam aliquid lucis affert doctrinæ. Etenim Lucas initio capitis 8. v. 1. utitur adverbio *καθ' ἑξῆς*, quod continuatam seriem ordinis significat. Ante illa igitur, quæ c. 8. describuntur, certè facta est historia hujus unctionis, & secuta est post ea, quæ post legationem Baptistæ descripta leguntur. Quibus si inferatur *ἡ ἕκοντη*, quæ in fine 11. cap. Matthæi habetur (sicut à nobis factum est) ordine pulcherrimo hæc historia sequitur. Christus enim ad-

ditis severissimis comminationibus objurgaverat illos, à quibus cum Evangelio suo nec curabatur, nec recipiebatur: amanter autem ad se invitaverat OMNES laborantes & oneratos, proposita promissione refocillationis. Simon igitur Pharisæus, quia non erat manifestus adversarius Christi, & doctrinæ ipsius, nec volebat videri socius illorum, quos Christus severiori objurgatione notaverat, mox finita concione invitat ipsum. Christum enim semper ferè in suo comitatu etiam Pharisæos vel auditores vel observatores habuisse, undique ex historia Evangelica constat. Vicissim autem etiam peccatrix infamis, ex suavissima Christi invitatione hæc concepit fiduciam, se ab ipso non rejectum iri. Quapropter ipsa, peccatorum onere pressa, ad eum in medium convivium irrumpit, quæsitura peccatorum suorum solutionem. Utrisque igitur ad Christum venientibus, cum quidem Pharisæus, disciplina legis ornatus, Christum magnificè ad se invitaret, peccatrix verò, publica infamia notata, humiliter & quasi timidè à tergo ad ipsum accederet; Simon existimabat, se multis nominibus Christo acceptiorem esse: peccatricem verò indignam esse, à qua Messias contingatur, & ideò miratur, quod vel ad contactum ipsius admittatur. Sed Christus longè diversum pronunciat, & ipso facto ostendit, eos sibi omnium esse gratissimos, qui ita ad se veniant, ut ipsi suam indignitatem ex humili corde agnoscant, omnem autem suam fiduciam non in se, sed in sola bonitate Christi collocatam habeant. Hæc observatio de ordine multa utiliter monet. Cum scilicet major pars in genere humano oderit, blasphemet, persequatur, vel certè non curet Christum & Evangelium ipsius: quod inter illos etiam, qui externa specie & professione ad Christum venire, imò ipsum magnificè ad se invitare videntur, multi nec serio, nec verè, nec rectè illud agant, ac propterea ab ipso non recipiantur. Ostenditur etiam quomodo ad Christum venire & accedere debeant, qui volunt ipsi grati esse & ab eo recipi. Docetur præterea diversum esse de hac re judicium rationis, imò ipsius legis divinæ, ab illo, quod filius Dei in Evangelio patefacit. Sed præstat singulas circumstantias & totam descriptionem historiarum expendere, atque ita capita doctrinæ colligere, quæ tamen ipsa consideratio observatione ordinis non parum juvabitur.

Harm. Tom. I.

Ccc

HISTO-

HISTORIA DE PECCATRICE UNGENTE, ET DE  
SIMONE PHARISÆO,

Lucæ 7.

36. Ηρώτη δὲ πρὸς αὐτὸν τῶν Φαρισαίων. ἵνα φάγη μετ' αὐτοῦ καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν τῶν Φαρισαίων ἀνεκλήθη.
37. Καὶ ἰδὲ γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἣς ὄνομα ἄμαθρα, ἔπιγινῶσκει ὅτι ἀνάκειται ἐν τῇ οἰκίᾳ τῶν Φαρισαίων, κομισάσα ἀλάβασρον μύρον.
38. Καὶ στίβα ἄλαβασρον τῶν ποδῶν αὐτῆς ὁπίσω, κλαίῃσα, ἠόρατο βροχεῖν τὰς πόδας αὐτῆς τοῖς δάκρυσι, καὶ τῶν κεφαλῶν αὐτῆς ἐξέμαρσε, καὶ καταφιλοῦσε τὰς πόδας αὐτῆς, καὶ ἔλειψε τὰ μύρα.
39. Ἰδὼν ὁ Φαρισαῖος ὁ καλεσθεὶς αὐτὸν, εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, λέγων. ἂν εἴη ἡ πεccatrix, ἐγίνωσκον ἂν τις καὶ πεccατή ἢ ῥυτὴ, ἣς ἀπέπτυγε αὐτὸν, ὅτι ἄμαθρα ὄνομα ἔστι.
40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπε πρὸς αὐτὸν Σίμων, ἔχω σοὶ τι εἰπεῖν, ὃ ἴσθης, διδάσκαλε εἶπε.
41. Δύο ὑποφειλέται ἦσαν δανειστῇ πνί, ὁ εἷς ὠφειλε δέκα ἀσημένια, ὁ δὲ ἕτερος πενήκοντα.
42. Μὴ ἐχρότων ἡ αὐτῶν δόδο δναί, ἀμφοτέροις ἐχαρισάσατο, τίς ἐν αὐτοῖν, εἶπε, πλείον αὐτὸν ἀγαπήσει;
43. Ἀποκριθεὶς ὁ Σίμων εἶπεν ἰσοπαλεῖσθαι, ὅτι ὁ πλείον ἐχαρισάσατο ὃ εἶπεν αὐτῷ, ὁ ἴσθης ἐκείνος.
44. Καὶ στραφείς πρὸς τὴν γυναῖκα, τῷ Σίμωνι εἶπεν. βλέπεις πῶς πῶτιν τὴν γυναῖκα; εἰσελθὼν σε εἰς τὴν οἰκίαν, ὕδωρ ἔπι τὰς πόδας μου ἐκ ἑδωκας αὐτῇ καὶ τοῖς δάκρυσιν ἔβρεξε με τὰς πόδας, καὶ τῶν κεφαλῶν αὐτῆς ἐξέμαρσε.
45. Φίλημα μοι ἐκ ἑδωκας, αὐτῇ ὅτι ἄφ' ἧς εἰσελθόν, ἐδέλιπε καταφιλοῦσαί με τὰς πόδας.
46. Ἐλαίω τὴν κεφαλὴν μου ἐκ ἔλειψας, αὐτῇ ἡ μύρα ἔλειψε με τὰς πόδας.
47. Ὅν χάριν λέγω σοὶ ἀφῆωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἰ πάλαι, ὅτι ἠρώτησε πολὺ, ὃ ἧ ὀλίγον ἀφίεται, ὀλίγον ἀγαπᾷ.
48. Εἶπε ἡ αὐτῇ, ἀφῆωντά σοι αἱ ἁμαρτίαι.
49. Καὶ ἠρξάντο οἱ σιμωνακαίμενοι λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, τίς ἐστὶς ὁ ἴσθης, ὅς κ' ἁμαρτίας ἀφίησιν.
50. Εἶπε ἡ πρὸς τὴν γυναῖκα ἡ πίστις σε σέσωκέ σε, πρὸς εἰς εἰρήνην.
36. Rogabat autem illum quidam de Phariseis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei, discubuit.
37. Et ecce mulier, quæ fuerat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubisset in domo Pharisei, attulit alabastrum unguenti.
38. Stansq; ad pedes ejus à tergo, flens, lachrymis capiti rigare pedes ejus, & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.
39. Videns autem Phariseus, qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier, quæ tangit ipsum, quia peccatrix est.
40. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon habeo quiddam, quod tibi dicam. At ille ait: Magister dic.
41. Duo debitores erant cuidam creditori, unus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta.
42. Cum autem illi non essent solvendo, condonavit utrique. Horum igitur, dic, uter eum plus diligit?
43. Respondens Simon dixit: Existimo, quod is cui plus condonavit. At ille dixit ei, Recte judicasti.
44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigavit pedes meos, & capillis capitis sui extersit.
45. Osculum mihi non dedisti, hæc autem, ex quo intravi, non cessavit deosculari pedes meos.
46. Oleo caput meum non inunxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos.
47. Propter quod dico tibi: Remittuntur peccata ejus multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus remittitur, is minus diligit.
48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.
49. Et ceperunt, qui simul accubebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata remittit.
50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade cum pace.

## Periocha hujus Historia.

Hanc historiam solus Evangelista Lucas annotavit: quo nomine ipsi à Christianis magnæ debentur gratiæ. Multis enim insignibus historiis & doctrinis in Evangelica historia destituemur, nisi Lucas peculiari diligentia non pauca scriptis mandasset, quæ reliqui omiserant. Sicuti Irenæus martyr l. 3. adversus hæreses c. 14. illa singula ordine enumerat. Cum igitur ipse tali diligentia nobis inservire voluerit, decet nos confirmari scrutari, quid divinorum mysteriorum in hujusmodi historiis reconditum sit.

Et primum quidem, in hac historia observan-

dum venit, quomodo describatur pœnitentia seu conversio peccatricis. Præbet enim illustre Exemplum, quomodo qui peccatis onerati sunt, ad Christum venire possint & debeant, ut requiem animabus suis inveniunt. Lucas dicit fuisse mulierem peccatricem. Num igitur reliqua multitudo civitatis fuit absque omni peccato, ita ut in tota civitate una sola mulier peccato fuerit obnoxia? Certè Christus mox in parabola de duobus debitoribus ostendit, & Simonem & omnes homines coram judicio Dei reos esse peccati, pro quo factisfacere non possint, nisi ex gratia fiat condonatio.

natio. Sicut Paulus dicit. Gal. 3. v. 22. Conclufit fcriptura omnia sub peccato, &c. Et I. Joh. 1. v. 8. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Quare igitur folam hanc mulierem Evangelista peccatricem vocat? Refpondeo, phrafis est obfervanda. Græci enim interpretes, quando conjungunt ἀνομίαν, ἀδικίαν, & ἀμαρτίαν: fumum & extremum gradum tribuunt τῇ ἀμαρτίᾳ. Ex. 34. v. 7. Lev. 16. v. 16. Pl. 101. v. 6. & 1. Tim. 1. v. 9. atque 1. Petr. 4. v. 18. ἀμαρτωλὸς ita ponitur, quod plus fignificet quam ἀσεβής. Et Chriftus, in parabola debitorum, gradus ostendit inter eos, qui 500. denarios debent, & inter eos, qui 50. Refponderet autem Hebraico נשׂת, & ufurpatur Gen. 13. v. 13. Sodomitæ erant ἀμαρτωλοὶ coram Domino nimis. Ex quo exemplo colligi potest fignificatio vocabuli in hoc loco. De peccato enim Sodomorum fcriptura dicit, quod coram Domino erant peccatores, Gen. 13. v. 13. hoc est sine metu, quasi sub oculis & conspectu Domini, non verebantur flagitiosissima quæcunque designare. Et Jefa. 3. v. 9. Iniquitatem suam sicut Sodoma prædicaverunt, Gen. 18. v. 20. Clamor Sodomorum multiplicatus est, & venit ad me. Vocari igitur cœperunt ἀμαρτωλοὶ peccatores: 1. Qui non ex ignorantia seu imbecillitate lapsi, sed ex destinata malicia sine metu & reverentia numinis malè agebant. 2. Qui non exiguo aliquo errato delinquebant, sed in enormibus & atrocibus flagitiis vivebant. 3. Qui non semel in flagitium aliquod prolapsi fuerant: sed acquifita ex crebro repetitis flagitiosis actionibus ἔξει, quasi certum suum vitæ genus, exercebant manifesta scelera & flagitia. 4. Quando flagitia non clam in occulto designabantur: sed erant manifesta & notoria, ita ut quisque honestus ab illis abhorreret. Suidas inquit: ἀμαρτωλοὶ οἱ παρρησιασθέντες ἐν περὶ αὐτῶν λόγῳ διὰ τὸν ἀσπίον ἀσπασθέντες. Tales per antonomasiam, propter excellentiam, seu enormitatem, vocabantur ἀμαρτωλοὶ, peccatores: Sicut in multis locis Evangelicæ historiae, conjunguntur publicani & peccatores. Paulus seipsum inter ἀμαρτωλὸς πρώτων, primum ex peccatoribus fuisse fatetur. 1. Tim. 1. v. 15. eo quod blasphemus, persecutor & publicè injuriosus fuerit in Ecclesiam Chrifti. Et David in Pl. 104. v. 35. dicit: Deficient ἀμαρτωλοὶ καὶ ἄνομοι, peccatores & iniqui à terra, ut non sint. Obfervandum verò est, cum vocabulum illud per antonomasiam cœpisset restringi tantum ad manifestè sceleratos, paulatim secutam & in vectam fuisse Pharisaicam illam persuasionem, quasi illi, qui notoriis flagitiis non essent contaminati, justè & sine peccato essent, idque coram Deo. Idèò Chriftus in parabola debitorum concedit, esse quidem gradus peccatorum: sed tamen affirmat, coram judicio Dei omnes esse debitores, & quidem tales, qui per se non sint solvendo. Et addit: se idèò minus diligì à multis, quia existiment tantum istos esse peccatores. Tanti refert propriam & genuinam fignificationem vocabulorum in fcriptura retinere. Hæc dicta sunt, ut colligi possit, qualis fuerit hæc fœmina. Illa enim obfervatio illustrabit descriptionem pœnitentiæ & Absolutionis. Quo verò genere flagitii contaminata fuerit, ex condi-

tione sexus colligi potest. Mulier enim fuit. Ergo non latrocinando, non aperta vi alios invadendo & persequendo hunc titulum sortita est: sed alias profligata & prostituta vitæ fuit. Sicut adhuc hodie apud nos ejusmodi fœminæ vocantur arme Sûnderin. Et quod Marc. 8. v. 38. de generatione adultera & peccatrice dicitur, illud ex 57. c. Jefa. v. 3. sumptum videtur, ubi impii semen adulterii & fornicariæ dicuntur. Vagis igitur libidinibus & tetris fornicationibus polluta fuit: ita ut Simon dicat, τίς καὶ ποία ἐστὶν, quæ & qualis est hæc mulier? Ποία ἐστὶν enim non simpliciter fignificat qualitatem, sive bonam sive malam, sicut τίς: sed habet emphasin quasi admirationis de excellentia seu enormitate.

Talis verò cum esset illa mulier, considerandum est, quomodo pœnitentia seu conversio ipsius describatur. Est enim exemplum, quomodo qui laborant & onerati sunt, ad Chriftum venire debeant, ut inveniant requiem animabus suis. Sed quia interiores motus contritionis & fidei hominibus monstrari non possunt: idcirco externis signis vera & non simulata conversio describitur. Nam Evangelista inquit: *Stans retro, secus pedes Jesu, flens, lacrymis cepit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* In varias autem Allegorias transformata fuit hæc descriptio: sed simplicissimum est, si explicatio fumatur ex sententia proximè precedenti: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis*, hoc est, si accommodetur ad partes conversionis. Nam Chriftus postea expresse nominat fidem, quæ accipiens remissionem peccatorum, salvavit peccatricem; Nominat enim dilectionem, quæ secuta est, post acceptam condonationem debitorum. His si addatur contritio, facilis & plana erit explicatio. Nominatim autem Chriftus non meminit Contritionis: quia paulò antè dixerat de laborantibus & oneratis, & signis ostendit, quomodo hæc peccatrix sub onere peccatorum laboret, quomodo agnoscat immensam summam sui debiti, & quod non sit solvendo. Et hæc est vera contritio. Ad has igitur partes accommodabimus descriptionem.

Intrat ergo in ipsum locum convivii, ubi multi simul accumbebant, sicut Lucas inquit in fine. Facit autem illud non meretricia quadam impudentia & levitate, irridentis conciones Chrifti de pœnitentia. Præ pudore enim & confusione à tergo, juxta pedes Chrifti stat: sed onere illo, sub quo laborat, compellitur quærere Chriftum; ubi audierat ipsum discumbere. Non autem vel morbo vel aliqua corporali calamitate laborat, quæ causa tunc plerosque compulit ad Chriftum accedere: sed multa peccata, seu ingens summa debiti, est onus illud, sub quo laborat. Ita enim Chriftus ipse explicat. Et sine dubio excitata fuit, suavissima illa invitatione Chrifti: *Venite ad me omnes, qui laboratis: Ego refocillabo.* Vide autem quomodo accedat. Num impudenter & præfricta fronte, ridens, & in peccatis suis exultans coram facie Chrifti prodit? dicens: Sum profligata vitæ & prostituta libidinis: sed non curo. Nichil enim nocet, quia Deus est misericors & tu venisti peccatores salvos facere. In flagitiosa igitur vita mea perseverabo & pergam: tu verò

Harm. Tom. 1.



salvabis me, non imputans mihi mea peccata. Hoc modo Epicuræi solent pœnitentiam non agere, sed fingere, sicut Augustinus loquitur: & tamen blandiuntur sibi de gratia Dei. Sed Paulus Eph. 4. v. 19. vocat illos *ἀπειθήνους*, dolere nescios, & pronunciat eos alienos esse à vita Dei, Jer. 3. v. 3. Frons meretricis facta est tibi, noluit erubescere. Jer. 6. 15. Num confusi sunt, quia abominationem fecerunt? imò erubescere nescierunt. Prov. 2. v. 14. Exultant in rebus pessimis, Jer. 3. v. 9. Iniquitatem suam, ut Sodoma prædicaverunt. Non igitur talis fuit hujus peccatricis pœnitentia. Sed ingressa stat à tergo, juxta pedes Jesu (ita enim in lecticis, quæ à tergo patebant, discumbant, ut stans aliquis posset pedes attingere) & tam effuse flez ut lachrymis pedes ipsius abluere posset. Sunt autem hæc signa spiritus contribulati, cordis contriti & humiliati, Psal. 51. v. 19. quod non audet in conspectum Christi prodire, non manus apprehendere, non oris osculum expetere, non ullum verbum facere: sed tacita à tergo stat gemens & lachrymans. Usitatum autem est in scriptura, veram & seriam contritionem hujus modi signis describere, ut de Petro scriptum est: Egressus, flevit amarè. Matth. 26. v. 75. Et nota est historia de publicano in templo, Luc. 18. v. 13.

Sed unde hæc tam subita mutatio in peccatrice, quæ hæcenus libidinibus delectata & turpissima quæque summo studio sine verecundia consecrata fuit? Hæc verò quæstio de causa efficiente præcipuè consideranda est in hac historia, ut quibus exemplum hoc ad imitationem propositum est, sciamus, non nostra *κακούργια* veram pœnitentiam inchoari & effici, sed operatione Spiritus sancti, qui cum certis divinitus ad hoc ordinatis mediis utatur, discamus illa nobis usurpanda esse. Non autem digrediamur longius: sed ex hac ipsa historia doctrinam illam sumamus. Christus dicit de multis peccatis hujus mulieris, & in parabola, ipsa audiente, pronunciat eam esse debitorum coram judicio Dei quingentorum denariorum, & non habere, unde huic debito satisfaciat. Numerum enim quinquaginta & quingentorum, certa proportione esse perfectum numerum, ex Ezechielis 40. & sequentibus capitibus colligitur. Sed unde didicit, & debitum & summam debiti, & quod non esset solvendo? Extra omnem controversiam, ex doctrina arguente peccata, quæ ostendit & multitudinem & magnitudinem peccatorum: & cum satisfactio nobis sit impossibilis, nihilominus affirmat, citius cœlum & terram transitura, quam unus apex de lege cadere possit, quin impleatur, Matth. 5. v. 18. Deut. 23. v. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel. Hoc cum ipsa non observaverit, pronunciat igitur verbum Dei, ipsius judicium. Scortatores & adulteros judicabit Dominus. Hebr. 13. v. 4. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, Gal. 5. v. 21. Ira & indignatio, tribulatio & angustia, super omnem animam agentem mala. Rom. 2. v. 9. Per hoc ministerium, quod arguit peccata, prædicatum, auditum, & cogitatum, Spiritus sanctus efficax est, auferens cor lapideum, ut peccatrix, quæ antea onus suum non sentiebat, jam corde contrito & spiritu contribulato, iram & judicium Dei sentiens, sollicita sit de remissione,

Et hinc factum est, quod nunc de peccatis dolet, & ea detestatur. Vera enim contritio ita peccatis præteritis dolet, ut simul complectatur propositum in futurum vitandi peccata. Ita hæc peccatrix ostendit, se in posterum capillos, oculos, os & oscula, quibus hæcenus libidinibus se prostiterat, velle accommodare ad meliorem & sanctiorem usum. Nam sicut veteres dicunt: in quo quis peccavit, in eo per contrarium agat pœnitentiam. Hæc est prima pars, atque adeo initium conversionis: Contritio scilicet, excitata à Spiritu sancto, ex seria agnitione & sensu peccati, iræ & judicii divini.

Alteram conversionis partem Christus expresse nominat, cum inquit: *Fides tuare salvam fecit*. Et quid fides hujus peccatricis in Christo quaesierit & apprehenderit, in parabola ostendit. Cum debitores non haberent unde satisfacerent, condonavit debitum. Et postea dicit: *Fides tuare salvam fecit, vade in pace*. Opera precium autem est considerare, quomodo in hac historia describatur fides confugiens ad Christum, quaerens in ipso, amplectens & apprehendens condonationem debiti, seu remissionem peccatorum & pacem conscientiae. Territa & contrita peccatrix sensu peccati & iræ Dei, non fugit ad laqueum, nec ruit in desperationem: sed sustentat se spe veniæ. Illam verò non quaerit, vel in suis vel in aliorum operibus & meritis: sed quia didicerat, omnia, quæ ad reconciliationem & salutem pertinent, à Patre tradita esse Christo, quem etiam audiverat amanter ad se invitantem omnes laborantes & oneratos, proposita promissione refocillationis, ad illum, ubi cognoverat ipsum esse, properat. Et pulchra est descriptio, quomodo mixti sint in conversione motus contritionis & fidei: & qualis sit lucta. Humiliata & confusa timet, dolet, & lachrymatur. A tergo enim ad pedes stat. Sed in illo timore & dolore pedes Christi amplectitur, & inter illos amplexus lachrymatur. Et hoc est, quod Augustinus dicit: Ita doleat pœnitens, ut ex hinc doleat. Et quod Psal. 147. v. 11. dicit: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus*. Jam id, quod peccatrix facit, manifestum est, lachrymis lavat pedes Christi, capillis tergit, unguento ungit, & ore osculatur: quo animo verò hæc fiant, aspectui humano non patet. Pontificii fingunt, hæc facta esse, ut essent satisfactio pro peccatis, utque his officiis Christum sibi demereretur, & ita impetraret remissionem peccatorum. Et hæc opinio, cum rationi sit consentanea, speciose & plausibiliter ex descriptione facti potest exaggerari. Sed optimum & certissimum habemus interpretem, ipsum filium Dei, & quidem in hac ipsa historia. Dicit enim, cum non haberent, unde solverent, sive satisfacerent debito, *condonavit utrisque*. Fides ergo peccatricis, quæ ipsam salvam fecit, non obtulit Christo hæc sua officia, ut illis satisfaceret pro suis peccatis, & promeretur remissionem peccatorum: sed agnoscit, & lachrymis contestatur, se non habere, quo satisfaciat. Quærit autem, suspirat, & petit, ut ex gratia condonetur debitum; propterea quod satisfactio sibi sit impossibilis. Ita enim Christus interpretatur hæc externa signa. Et hoc significat

ficat *καὶ ἵνα*, præter meritum, imò contra quam quis meritus sit, ex gratia condonare. Quare autem gratuitam illam condonationem, quæ ad Deum pertinet, *Jes. 43. v. 25.* in Christo quærat, Evangelium explicat. Non enim ex levitate, Deus peccata remittit, cum scriptum sit, ne minimum quidem apicem legis cadere posse, quin impleatur, *Matth. 5. v. 18.* Sed unigenitum filium suum misit in mundum, ut projectis in ipsum peccatis totius mundi, *Jes. 53. v. 6.* perfecta impletione satisfiat iudicio Dei pro nobis. Et tunc pater nobis peccata dimittere dicitur, quando illam filii sui satisfactionem credentibus donat & imputat. Ita ergò fides hujus peccatricis, quærens remissionem peccatorum, quæ contingere non potest nisi lex impleta sit, Christum amplectitur, ut ipse peccata ejus, pro quibus ipsa satisfacere non potest, suscipiat, & pro illis satisfaciat. Hoc suspirat, optat & petit, ut cœlestis Pater, pro suis etiam peccatis, illam filii sui satisfactionem acceptet, & propter illam personam, cum sit in officio Mediatoris, peccata condonare velit.

Hæc ex interpretatione ipsius Filii Dei certissima sunt, ad quæ explicatio illorum signorum, de unguento, osculo & reliquis accommodanda sunt. Non autem ex privata & perversa interpretatione horum signorum extruendum est dogma, pugnans cum explicatione, quam ipse filius Dei in hac ipsa historia tradidit. Facilis autem est accommodatio. Non enim est, sicut nobis videtur, *ἡ δὲ οὐρανία* quædam, sed pro more illius regionis usitata fuerunt talia officia. Hospitibus pedes lavabantur: id quod vulgò aqua fiebat, *Gen. 18. v. 4.* & linteo extergebantur, *Joh. 13. v. 5.* Amicis verò valdè charis, & quibus propter excellentiam dona peculiarem reverentiam exhibere volebant, non aqua, sed unguento pedes lavabant, *Joh. 12. v. 3.* Hæc verò peccatrix, *lachrymas* contritionis adhibet loco aquæ, & non linteo, sed *capillis extergit*, qui in mulieribus non postremus ornamentum locus esse solet. Pretiosis aquis destillatis caput perfundere solebant, *Matt. 26. v. 7.* Sed magna reverentiæ signum erat, *pedes* alicujus dignari tali unctione. *Osculo* se invicem salutabant & excipiebant: sed hæc peccatrix, & præ humilitate, & ut ostendat quantum huic personæ tribuat, pedibus ipsius oscula figit. Hæc omnia Christus ita interpretatur: *Veni in domum tuam Simon*, hoc est, non es blasphemus, non persecutor, sed invitasti me: quam leviter autem & quam frigidè de me sentias, quam parum mihi tribuas, & quam parum tibi gratum sit & acceptum, quod de mea persona & officio Evangelium concionatur, externa signa ostendunt. Nam ne illa quidem communia officia, quæ vulgaribus hospitibus & honestis viris præstari solent, mihi exhibuisti: *non autem aquam pedibus, nec commune quidem oleum capiti, nec ori osculum dedisti.* Hæc peccatrix verò, quanti me faciat, quam carum, gratum & acceptum ipsi sit, quod in Evangelio de me prædicatur, pro quanto thesauro me habeat, externis illis signis testatur.

Summa igitur explicationis, ex Christi manu-ductione, hæc est. *Capilli, unguentum, oscula, &c.* testimonia sunt, mulierem hanc non contemnerè, aut vilipendere Christum, non leviter, frigidè

*Harm. Tom. 1.*

aut perfuntoriè eum amplecti, sicut plerique, qui non mali videri volunt, faciunt. Sed, cum onere peccatorum ad Christum, qui refocillare & potest & vult, compellatur, duo habet. Primò, non affert persuasionem meriti aut dignitatis; sed indignitatem suam, & confusione vultus & lachrymis, palàm testatur. Secundò, quàm seriò & ardenti desiderio atque affectu voluntatis & cordis Christum amplectatur, ut per quem solum agnoscit se posse salvari, & sine quo cogatur in æterna damnatione manere, ostendit & testatur externis illis signis unctionis & osculi. *Simon* verò ideò minùs reverenter & ardentè Christum, licet ad se venientem, excipit, quia præ opinione dignitatis & meriti, non agnoscit quàm sibi opus sit Christo mediatore. Hæc simplex accommodatio ex ipsius Christi verbis sumpta est, & est analogia fidei, & multa utiliter monet. Illustrior verò est significatio *Osculi*, quod multarum quidem rerum symbolum fuit, ut amoris, reverentiæ, subjectio- nis, &c. huic tamen loco pulchrè convenit, quod *3. Regum 19. v. 18.* Deus dicit: quorum os non est osculatum Baal. Colligitur enim inde, fuisse symbolum supplicantium. Sicut & *Job. 31. v. 27.* inquit: Si osculatus sum manum meam ore meo, videns Solem & Lunam, quæ est abnegatio contra altissimum. Ita *Esther cap. 5. v. 2.* cum non vocata veniret ad Regem, & timeret indignationem, osculatur summitatem virgæ ejus, *Syrach 29. v. 5.* Donec accipiant, osculantur manum dantis & in promissionibus humiliant vocem suam. Et hoc pulchrè convenit ad *Psal. 2. v. 12.* Osculamini filium, ne irascatur Dominus, & pereatis. Hæc est descriptio fidei in conversione hujus peccatricis. Porro, Christus pronunciat peccatricem hanc conversam habuisse etiam dilectionem, & quidem magnam. Dicit enim: *Dilexit multum.* Et ad dilectionem eadem illa externa signa, osculorum & unctionis, accommodari posse Christus ostendit. Sicut unius rei multi possunt esse fines subordinari. Et quidem, si dilectio habeat rationem meriti, vel quamcunque rationem causæ præcedentis remissionem peccatorum, omninò hoc loco ponenda & explicanda esset inter ea, quibus quaritur, applicatur & apprehenditur gratia & remissio peccatorum. Sed Christus disertè affirmat, dilectionem non præcedere remissionem, nec esse satisfactionem, pretium aut meritum ejus, sed gratuitam esse condonationem, quæ & causa sit, unde postea oriatur dilectio erga Deum. De ea igitur postea dicemus. Hoc verò loco ea notavimus, quomodo illi, qui laborant & onerati sunt, ad Christum venire possint & debeant, ut refocillentur, & requiem inveniunt animabus suis. Et hic est primus locus.

Secundò diligenter considerandum est, cum peccatrix in seria pœnitentia, vera fide quarat & petat in Christo, & propter Christum, gratiam Dei & remissionem peccatorum, quid consequatur & impetret. An recipiatur: an verò repudietur. *Simon* cum reliquis Phariseis non rectè intelligunt officium Mediatoris. Existimant Messiam, qui est Sanctus sanctorum, *Daniel 9. v. 24.* ideò venisse in hunc mundum, ut eos, qui disciplina, operibus, sanctitate, & meritis reliquam

hominum colluviem præcellunt, ad se recipiat, & quasi in societatem asciscat. Ideo non dubitat se, & sui similes, propter illam dignitatis prærogativam, Christo propiores & acceptiores fore. De peccatrice verò, ingerente se in convivium ad Christum, pronunciat in corde suo, illam ne contractu quidem pedum Messia, qui est sanctus sanctorum, dignandam, nedum ad communionem cœlestium bonorum, de quibus Evangelium concionatur, admittendam aut recipendam esse. Nec curant Pharisei, quod vident in illa peccatrice signa poenitentia & fidei. Quia enim Lucas dicit: *Eni mulier peccatrix*: & quia Simon etiam inquit: *quæ & qualis est illa mulier?* Apparet ipsam antea, quod quidem publicè in civitate notum esset, non egisse per longum aliquod tempus poenitentiam ab impura sua vita. Et Phariseorum opinio erat, peccatores, si convertantur, prius debere satisfacere pro peccatis suis, & postea demum, quando sufficiente satisfactione digni essent effecti, ad reconciliationem à Deo recipi. Hoc erat Simonis iudicium, & sanè non iniquum, si cogitationes rationis, imò etiam si normam legis divinæ respicias. Quid igitur Christus? Illi enim Pater omnè iudicium tradidit. Joh. 5. v. 22. Lucas dicit: dum Simon hæc cogitat, priusquam sententiam suam juxta Legem pronunciat, Christus prævenit: quia Pater non iudicat quemquam, sed omnè iudicium dedit filio. Et in parabola, sententiam illius iudicii, quod Pater filio dedit, cognoscendam exhibet: 1. Deum scilicet legis doctrinam peccatoribus proponere, non quod plenaria satisfactione pro peccatis suis satisfacere possint: sed ut ostendat, & convincat, ipsos non habere, unde satisfaciant, ut ita humiliati, persuasionem dignitatis, meriti & propriae iustitiæ deponant, & agnoscant sibi opus esse alia iustitia. 2. Ipsa absolute & receptione peccatricis ostendit, officium Mediatoris esse, non ut habita ratione meritorum dignos, & qui sanctitate pares sunt, sibi adjungat: sed quia omnes sunt debitores, & nemo est solvendo, & ipse pro omnibus satisfaciat, & eos recipiat, qui debitum suum & impossibilitatem satisfactionis serio agnoscant, atque ideò nec ad sua nec ad aliorum merita, sed ad solum Messiam, qui est ἀντιλυτρον pro omnibus, 1. Tim. 2. v. 6. confugiant, & ipsum vera fide opponant iudicio & iræ Dei. 3. Ostendit talem fidem statim impetrare, & consequi remissionem peccatorum, non requisita, imposita & expectata propria ipsorum satisfactione. Illa enim Christi est, qui est ἰλασμός & propitiatio, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. vers. 2. & per fidem imputatur creditibus. Cum enim non essent solvendo, non imposuit satisfactionem, sed *condonavit utriusq.*

Hæc membra diligenter sunt notanda in hac historia. Periculosa enim tentatio & acris lucta est conscientia, quando sub sensu iræ Dei fide conatur se erigere & sustentare, An Deus velit, & quidem statim, nos in gratiam recipere. Opinio enim Phariseorum, quia & rationis & legis est, obstrepit nobis & turbat fidem. Sed opponamus hanc Christi sententiam & factum, qui si nos recipiat & absolvat, non terreamur, si totus mun-

us, si ratio, si Moses cum lege sua, imò si ipsum cor nostrum nos condemnet. Filio enim Pater omnè iudicium dedit, Joh. 5. vers. 22. imò omnia dedit in manu ejus, Joh. 3. v. 35. Quare si proprium cor nostrum nos condemnet, fiduciam habemus ad Deum, qui major est corde nostro, 1. Joh. 3. vers. 20. Hoc autem iudicium filii Dei conferatur cum quorundam Patrum cogitationibus de satisfactionibus, & consideretur, cujus iudicio potius acquiescendum sit. Certè unde illæ cogitationes Patrum manarint, hæc historia exemplo Simonis ostendit: ex ratione scilicet, seu potius ex lege Dei. Sed qualem responsonem Christus opponat, jam ostensum est. Et dignum est observatione, quod Phariseorum iudicium, quo damnatur hæc mulier, prius refutat, quam ad ipsam mulierem se convertat. Ostendere enim voluit, hanc doctrinam de justificatione, incurrere reprehensionem illorum, qui & sapientissimi & sanctissimi in hoc mundo videri volunt. Tales enim erant Pharisei. Imò doctrinam hanc turbati objectionibus, ex ipsa lege divina petitis. Et nisi objectiones illæ ex veritate fundamentis refutentur, & scrupuli illi animis eximantur, consolatio Evangelii non potest efficaciam suam verè in animis hominum exercere. Ideò Christus iudicia Phariseorum, cum hæc doctrina pugnantia, prius refutat; postea se vertit ad mulierem, & inquit ad illam: *Dimittuntur tibi peccata.*

Ordine autem in justificatione hæc coherent, sicut verba Christi coherent: 1. *Dimittuntur tibi peccata tua.* 2. *Vade in pace.* 3. *Fides tua te salvam fecit.* Conveniunt enim hæc ad sententiam, Rom. 5. v. 1. Justificati fide pacem habemus, & gloriamur spe gloriæ filiorum Dei. Et hæc Christus omnia hoc loco, sicut & Paulus, Rom. 5. v. 1. fidei tribuit. Ne cum Pontificiis existimemus, fidem tantum esse inchoationem vel præparationem justificationis & salutis, quæ postea per aliquid aliud perficiatur & absolvatur: Dicit autem: *Fides tua te salvavit.* Non tribuens operi fidei illam virtutem, seu efficaciam: sed fides hujus mulieris ideò apprehendit obedientiam, & satisfactionem filii Dei Mediatoris, quia videt universa opera non esse solvendo coram iudicio Dei. Et quia Christus est impletio legis, ad iustitiam omni credenti, Roman. 10. vers. 4. ideò fides, quæ apprehendit Christum, & ponit illum inter peccata sua, & inter iudicium Dei, sicut Augustinus loquitur, dicitur justificare & salvare. Ut oratio correlativè intelligatur: *Fides*, hoc est, Christus fide apprehensus, *salvavit te.* Sed quare non dicit: *Gratia Dei, aut Christus Mediator te salvam fecit?* Respondeo: Scriptura illis propositionibus sæpissimè utitur. Christus verò peculiari quadam ratione delectatus est hoc modo loquendi: *Fides tua te salvam fecit.* Est enim Christus nobis à Deo factus iustitia, 1. Corinth. 1. vers. 30. sed nisi fide ipsum apprehendam, & mihi applicem, non justificat me: quia iustitia Dei est in omnes & super omnes, qui credunt in Christum, Rom. 3. vers. 22: ad iustitiam omni credenti, Rom. 10. vers. 4. ut promissio ex fide Jesu detur creditibus, Galat. 3. vers. 22. Et ideò fides dicitur justificare. Christus enim fide apprehensus est formalis

malis nostra iustitia. Est & hæc ratio huius modi loquendi: quando cor vera fide complectitur Christum, luctatur cum dubitatione, & turbatur disputationibus de arcana prædestinatione. Opto sanè, quæro & peto gratiam Dei in Christo: sed quis scit, an Christus me velit recipere? an pater sua gratia velit mihi donare & imputare obedientiam filii sui ad iustitiam? An hoc fecerit, an faciat, an adhuc facturus sit, vel non? Ab illis disputationibus eos Christus revocat ad verbum, & ad fidem, ut non dubitemus, quando, juxta verbum, fide Christum amplectimur, nos in gratiam recipi & salvari. Ne igitur de arcanis disputemus, solet Christus ita loqui: *Fides tua te salvam fecit*, ut deducat nos ad verbum patefactum & fide apprehensum.

Tertiò: Peculiaris est doctrina, quæ quidem ad præcedentem locum pertinet, sed docendi gratia ab eo distingvi potest. Dicit Christus mulieri, *jam peccata ipsi remissa esse*. Utitur enim præterito, *ἀφέντως*, sicuti supra c. 43. Harmoniæ in historia paralytici diluèdè ostensum est, & hoc loco parabola de debitoribus expressè idem affirmat. Ex generali igitur concione Christi de regno Dei, concepit fiduciam: & cum fide in eam promissionem se includeret, eamque sibi applicaret, accepit remissionem peccatorum. Hoc Christus confirmat, dum inquit: *Dimissa sunt tibi peccata*. Quid igitur mulier illa adhuc quærit apud Christum? Quidam disputant: Christum hoc loco mulieri nihil donasse, nec mulierem quicquam accepisse, cum Christus diceret: *remissa sunt tibi peccata*: quia jam antea habebat remissionem peccatorum. Sed tantum propter hospitem & convivas Christum voluisse ostendere, quid mulier illa jam antea fide accepisset, ut ita probaret, se esse Messiam, cujus fide remittantur peccata. Sed hæc opinio falso fingit principia fidei tam perfecta, ut nulla opus habeant confirmatione, nec aliquis restet usus ministerii, post acceptam semel remissionem peccatorum, cum diversum hæc historia doceat. Pulcherrima enim & consolationis plena est doctrina, quam hic locus diligenter observandus præbet. In lucta tentationum valde difficile est generalem promissionem ita amplecti, ut non dubites eam privatim etiam ad te pertinere, & tibi applicari. Hoc concedit conscientia, Deum in promissione esse veracem & fidelem, & illam applicari electis. Sed an me etiam Deus æterna sua prædestinatione in promissionem gratiæ includam & comprehensum esse voluerit, an mihi etiam fiat applicatio, et si fide hoc optem, hoc demum est, quo conscientia in tentatione angitur: præsertim quando multæ se offerunt rationes, quod videatur ad me non pertinere, cum mea, propter multas circumstantias, alia sit ratio, quam aliorum credentium. Vel enim aliis sum ignobilior, contemptior, abjectior: vel peccatis, tum aliorum hominum, tum propriæ conscientiæ testimonio, foediùs contaminatus, & magis oneratus, quam ut sperare possim, ea tam facile mihi remitti posse. Sicut idem ex mulierculæ huius lucta deprehendi potest. Vide autem quid faciat hæc mulier, ut idem in simili casu vel ipse imiteris vel alios imitari doceas. Ipsa non est contenta generali promissione, quæ in genere proponitur omnibus:

*Chemn.*

Illam enim fide jam apprehenderat. Sed contentus ad Christum, & hoc agit, ut Christus privatim ipsi annunciet remissionem peccatorum: ut ipsa privatim pro se certa reddatur, promissionem remissionis peccatorum ad se pertinere. Quid autem Christus? Num ipsam repellit, objiciens hanc exceptionem: Atqui jam dimissa tibi sunt peccata tua, quid quæris amplius? Num Deum in generali sua promissione vis mendacem facere? &c. Sicut vociferantur illi, qui usum privatæ absolutionis impugnant. Nihil horum dicit, sed convertit se ad ipsam & inquit: *Tibi dimissa sunt tua peccata: Fides tua te salvam fecit*. Et addit quidem fructum huius applicationis, quæ privatim fit, illum esse: *Vade in pace*. Ita fides, quæ semel accepit remissionem peccatorum, subinde opus habet confirmatione, quæ fit per ministerium, operante Spiritu sancto. Et hoc exemplum ostendit, fieri hæc & in generali annuntiatione Evangelii, & quando privatim ad unum dirigitur illa annuntiatione, & quando ita fit applicatio. Certum enim est, Deum efficacem esse, quando promissio gratiæ in genere proponitur, & fidem, quæ in generali concione promissionem gratiæ apprehendit, certo accipere remissionem peccatorum. Dicit enim: *Dimissa sunt ei peccata*. Sed quando mens luctatur cum dubitationibus, & turbatur de noxia & Manichæa sive Calviniana particularitate: quia licet Deus velit omnes homines salvari, 1. Timoth. 2. vers. 4. tamen pauci sint electi, Matth. 20. v. 16. eo quod multi consilium Dei spernant contra semetipsos, Luc. 7. vers. 30. quando ita, inquam, animus turbatur, ut non possit habere pacem, ostenditur hoc exemplo, rectè peti posse, ut usu ministerii privatim mihi annuncietur & applicetur promissio remissionis peccatorum. Et Christum hoc fecisse, atque suo exemplo faciendum instituisse, ex aliis etiam locis Evangelicæ historiæ manifestum est. Et ipsum sua efficacia huic Absolutioni, quæ privata dicitur, adesse, hoc exemplum testatur: sicut circumstantiæ ostendunt, & quod inquit: *Vade in pace*.

Observandum verò & hoc est, Phariseos generalem, ut ita dicam, narrationem de remissione peccatorum utcumque potuisse ferre. Sed per hominem in ministerio fieri applicationem promissionis de remissione peccatorum, vel in genere ad multos, qui credunt, vel privatim & in specie ad unum aliquem, qui vera fide hoc petit, hoc verò mirantur. *Quis hic est, qui etiam peccata dimittit?* Et prius in sanatione paralytici. Matth. 9. v. 3. dixerant esse blasphemiam. Sicuti hæc de re actum est superius in explicatione ejus historiæ, cap. Harmoniæ 43. ubi etiam vocabulum *ἀφέντως*, quomodo illud sit accipiendum, est expositum. Ex hoc autem loco colligi potest, quam frigidè exercuerint ministerium verbi Scribæ & Pharisei, Mirantur enim per ministerium verbi fieri applicationem promissionis ad credentes, ita ut certò quis statuere possit & debeat, peccata sibi dimissa esse. Ipsi igitur judicarunt, in concionibus tantum fieri generalem quasi narrationem, cui nulla divinitæ efficaciam adjuncta sit. Et in illa opinione valde multi adhuc hodie hærent, qui ideo minus honorificè de ministerio Evangelii sentiunt. Pontificiorum etiam dogma de dubitatione, non procul ab hac

*Ccc 4*

*Phari.*



Pharisæorum admiratione abest. Quæ verò Christi sit sententia, ex antithesi opinionis Pharisæorum intelligi potest. Et supra cap. 43. Harmoniæ, plura de ea sunt dicta.

Quartò, quia certum est, hanc conversionem peccatricis nobis in exemplum propositam esse, considerandum est, quomodo illud exemplum sit imitandum, & quare Christus Servator tale exemplum sumserit: Num docere voluit, eligendam esse flagitiosam & sceleratam vitam, ut idonei reddamur ad communionem regni Dei? Nequaquam. Non enim venit docere perpetratiorem, sed remissionem seu solutionem peccatorum. Jam verò non omnes similes sumus profligata vitæ hujus peccatricis. Nihil igitur ad nos exemplum illud conversionis pertinebit: sed illis tantum, qui similibus flagitiis maculati sunt, propositum erit ut hoc modo pœnitentiam agant, & fide in Christo remissionem peccatorum quærant? Illæ sunt Pharisæorum & multorum aliorum cogitationes. Sed Christus parabola quadam suam & veram sententiam explicat. Non autem disputat hoc loco, sitne hypocrisis in prima tabula majus & gravius peccatum, quam scortatio & adulterium in secunda tabula. Sed per concessionem loquitur. Apparet enim ex parabola, Simonem Pharisæum non fuisse in illa opinione, quasi planè sine omni peccato esset. Nam & hoc reliqui Pharisæi Johan. 8. v. 7. convicti concedunt. Sed in comparatione illius peccatricis cogitavit Simon, talem esse differentiam, qualis est inter *debitum 500. & 50. denariorum*. Hoc Christus per concessionem sumit. Non enim negat esse differentiam & gradus peccatorum, & quidem etiam coram Deo: sed hoc vult ostendere, licet peccata in omnibus non sint paria: omnes tamen coram judicio Dei similes & pares esse in his quatuor: 1. Quod omnes sunt debitores. Licet enim plus debeat cujus summa est quingentorum argenteorum: tamen & ille debitor est, qui 50. tantum debet. 2. Quod nemo potest pro peccatis suis satisfacere. Sicut enim peccatrix non habet, unde solvat quingenta sua: ita nec Simon habet, unde pro quinquaginta suis judicio Dei satisfacere possit. 3. Sicuti Lex peccatricem cum suis quingentis damnat: Ita si Deus cum illo, qui tantum quinquaginta debet, in judicium intrare vellet, subiceretur eidem sententiæ damnationis. Quia maledictus, qui non in omnibus permanferit, Deut. 27. v. 26. Item: Qui in uno delinquit, reus est omnium, Jacob. 2. v. 10. Conjectus enim in carcerem, Matth. 5. v. 26. non exit inde, etiam si tantum extremus quadrans solvendus restet. Tam severus exactor est Moses. Et solutio impossibilis est utrique, sicut Christus affirmat. 4. Sicut ergò ex sola gratuita condonatione peccatrix propter Christum recipitur & salvatur: ita & sola hæc via Simoni ad vitam æternam proposita est, & nisi voluerit hoc modo, ut laborans & oneratus, ad Christum venire, conjicietur in carcerem, unde non exibat, quia gratuitam remissionem non vult petere, & solutionem non potest præstare. Hæc Christus in parabola proponit, ut eo facilius perversum rationis judicium corrigere possimus. Et quid aliud agit Pontificiorum doctrina? quam quod tradit, magnis

quidem peccatoribus opus esse gratuita Dei misericordia: illos verò, qui pauca, nec usque adeò magna habent peccata, facile posse pro illis Deo satisfacere. Sicut docent Sententiarum, ad venialia peccata non opus esse contritione, & posse ea alia ratione deleri, ut non opus sit sanguine Christi. Necessaria igitur est hæc doctrina Christi. Licet sit differentia, & gradus sint peccatorum: unam tamen, solam & eandem rationem justificationis omnibus propositam esse, qui volunt salvari. Ut scilicet agnoscant se esse debitores, nec esse solvendo, sed si Deus vellet in judicium intrare, conjiciendos esse in carcerem æternæ damnationis, etiam si non quingenta sed quinquaginta tantum quis debeat? Confugiant autem ad Christum in ipso & per ipsum fide quærant, & petant gratuitam condonationem, ut ita fides omnes salvos faciat.

Ostendit autem Christus, hanc causam esse, quod multi, etiam qui non sunt Epicuræi, tamen sine seria pœnitentia seu contritione de peccatis suis & ira Dei non sint solliciti: quia non considerant, se esse debitores summæ, pro qua satisfacere judicio Dei sit impossibile, & non cogitant quodnam sit judicium illorum, qui cum sint debitores, nec possint solvere, nec velint condonationem quærere. Ex hoc fundamento Spiritus sanctus excitavit veram pœnitentiam, si cor hanc doctrinam meditatatur. Et disertè dicit Christus, se cum Evangelio & toto regno suo idè minus curari, & frigidius à Simone Pharisæo excipi, quod hanc parabolam de debitoribus non rectè intelligat & consideret. Qui enim vel nihil vel adeo parum debet, ut facile possit creditori satisfacere, ei non opus esse demissis supplicationibus: nec usq; adeò gratum est, si creditor magnificis pollicitationibus offerat condonationem. Et nota, qualem opinionem, quam putavit fidem esse, hic Simon de Christo conceperit, cum ipsum ad se invitaret. Existimavit enim illos à Messia in regnum Dei recipi, qui vel sine peccatis essent, vel pro exiguis & paucis, si quæ habeant peccata, ipsi suis operibus satisfacerent. Quia verò Christus peccatores ad se invitat, & de gratuita remissione concionatur, minus à Simone curatur. Christus igitur proposita hac peccatrice, & parabola de debitoribus, ostendit non afferendam esse talem opinionem, si velimus in ipso requiem animabus nostris invenire. Hæc ita considerentur, ut non tantum de hoc Simone cogitemus: sed nos ipsos examinemus, quantum Christum cum beneficiis suis curemus, & quæ sit negligentia causa: scilicet, vel Epicuræa securitas, vel Pharisæica superbia. Christus enim instituit antithesin, *Peccatrix lacrymis lavit pedes ipsius: Simon verò, etiam cum invitat Christum, Ne aquam quidem dedit.* &c. Quid facit illam differentiam? Respondeo: Parabola de debitoribus hoc explicat.

Hoc ergo modo generale exemplum conversionis in hac peccatrice propositum est omnibus, qui volunt à Christo refocillari, ut requiem inveniant animabus suis. Sed quare exemplum infamis peccatricis sumit? Respondeo: Propter duas potiss.

potissimum causas hoc fecit: 1. Quia Articulus gratiæ justificationis quæ sit sine nostris meritis, illustrius ita potest proponi. Non enim potest hæc, quia deprehenditur in manifestissimis flagitiis, vel defendere, vel excusare, vel extenuare peccata sua, nihil potest prætere meritorum: sed humiliata, confusa & contrita in solam gratiam, quæ in Christo proposita est, recumbit. Et talis debet esse justificatio omnium, qui volunt salvari. 2. Talia exempla scriptura proponit, ne quis propter multitudinem & magnitudinem peccatorum desperet, quasi doctrina gratiæ tantum ad eos, qui non enormiter sunt peccatores, pertinet. Ita Paulus exemplum suæ conversionis proponit, 1. Tim. 1. v. 16.

Porro, quod Christus peccatum & peccatores parabola debiti & debitorum describit, illustrem habet significationem, ne leviter de peccatis sentiamus, aut contemptim de iis loquamur. Appellatio enim debiti correlative respicit: 1. ad tabulas debiti, hoc est, ad legem ostendentem & summam magnitudinem debiti, quod non excidit. Signatum enim est in tabulis lapideis. 2. Respicit ad creditorem, ne eum contemnamus, qui quotidie peccata nostra, tum commissionis tum omissionis annotat, easdem accurate supputat, & suo tempore tanquam debita severissime exacturus est. Et quidem eum, qui non est solvendo, potens est & vendere, Matth. 18. v. 25. & in carcerem conjicere, Matth. 5. v. 25. Tabulas enim ipse conscripsit. Ita ad rationem poenitentiae illustrius est vocabulum debiti, quam peccati. Et quidem hoc in loco utitur Christus composito vocabulo, vocans hos debitorum *ὀφειλέταις*, ut ostendat, nos omnes coram judicio Dei prorsus non esse solvendo. Nam *ὀφειλέτης* simpliciter pro se debitorem significat & *ὀφείλει* significat indigentiam atque egestatem, quæ non est solvendo. Et 1. Sam. 22. v. 2. dicuntur *ὅσοι ὀφείλοιν*, illi obarati, qui ad Davidem confugerunt. Et Hebræa lingua Dan 1. v. 10. *אֲשֶׁר הָיוּ חַיִּים*, quod debitum significat, deducit verbum *חַיִּים*, quasi de debito accusatum & damnatum in discrimen capitis adducere. Ideo Hieronymus reddidit: Condemnabit caput meum apud Regem. Ita Ps. 55. v. 16. verbum *חַיִּים*, quod significat debitum exigere, usurpatur: Mors ut rigidus exactor opprimat, accuset, condemnet ipsos. Et in novo testamento frequentior est usus vocabuli debiti pro peccatis, quam in Veteri. Luc. 13. 4. vocantur debitorum, super quos turris in Siloah concidit. Matth. 23. v. 18. qui jurat per donum, quod est in altari, debet: qui verò per ipsum altare nihil est. Et dicunt hoc ex Chaldaismo sumptum esse. Ubi enim Hebræus habet peccata, Chaldaus in multis locis reddidit debita. Et Græca lingua ita ferme loquitur: ut, *ὀφειλέταις μοι κακόν*, hoc est, obnoxius mihi es, ut poenas à te exigam. Item *ὀφειλέταις κατὰ θάνατον*, adjudicatus est morti. Menan. *ὀφειλέταις ὀφείλει κατὰ θάνατον*. Et usitata sunt, *ὀφειλέταις δὲ θανάτου*, damnatum esse: Item: *ὀφειλέταις ἡμιθανῶν*, certa multa damnatum esse. Et damnati iudicio forensi simpliciter dicebantur *ὀφειλέταις*. Sic ut etiam *ὀφειλέταις* dicitur multa iudicio imposta. Ita & Svidas explicat. Et Græci interpretes Job. 6. v. 20. reddiderunt *αἰσχρονομία ὀφειλέταις* pro *ἡμῶν* confundentur, ignominiam sustinebunt. Hæc

observata aliquid lucis afferunt locis scripturæ.

Quintus locus est de dilectione. Eius enim Christus ter mentionem facit in hac historia. Et mulierem quidem hanc conversam habuisse dilectionem Christus affirmat, & ex signis externis probat. Sed ardua est quæstio, quæ magnis contentionibus hodie agitur: An dilectio ut meritum & causa præcesserit remissionem peccatorum, ita ut peccata dicantur ideò dimitti, quia præcedente magna dilectione peccatrix hoc promerita fuerit: seu dilectionem in hac peccatrice tantam fuisse, quæ magnitudinem & multitudinem peccatorum absumere potuerit? Hanc sententiam Pontificii magnis clamoribus urgent, & habent quædam dicta Patrum, quæ in illam sententiam inclinare videntur. Ut, Gregorius inquit: Charitatem esse ignem, peccatum verò rubiginem, quæ magno charitatis igne concrematur & consumitur. Ideò enim remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quidam hoc loco allegant illud: Dilectio operit multitudinem peccatorum, Proverb. 10. v. 12. & 1. Pet. 4. v. 8. Ambrosius inquit: Bonæ sunt lachrymæ, quæ nostrum possunt lavare delictum, Item: Bonæ lachrymæ, in quibus est redemptio peccatorum. Lavit lachrymis maculas proprias. Chrysostomus. Per lachrymas & confessionem mundamur. Consimiles sententiæ plures occurrunt. Sed magna quæstio est, in qua remissio peccatorum, salus nostra, & vita æterna vertitur. Ideò non est committenda hominum opinionibus. Sed consulamus os Dei, & audiamus, quid ille de hac quæstione pronuntiet, qui est ipsa veritas. Joh. 14. 5. qui in sinu patris est, & venit ut enarraret nobis, Joh. 1. v. 18, ea, quæ in cor hominis non ascenderunt, 1. Corinth. 2. v. 9. Eius enim sententiæ tuto possumus stare, etiam si sint, qui diversum sentiant. Pater enim de cælo clamavit: Hunc audite, Matth. 17. v. 5. Extat autem explicatio filii Dei, nec dubia nec obscura, in hac ipsa historia. Expresse enim dicit: *Cum non haberent, unde solverent, utrisque debitum ex parte ex gratia condonavit.* Lachrymæ igitur & dilectio peccatricis non fuerunt pretium seu satisfactio pro peccatis; nec dilectione ipsa promerita fuit, ut peccata dimitterentur, quæ ex sola gratia, sine meritis dimissa Christus pronuntiat. Et explicat peccatricem lachrymis pedes lavisse, capillis terfisse, unguento unxisse, & osculis honorasse, non hoc animo & hoc fine, ut hisce officiis pro peccatis suis satisfaceret. Sed hæc ipsa esse testimonia, quod non sit solvendo, sed petat gratuitam condonationem. Deinde verbis clarissimis asseverat, dilectionem non præcedere remissionem peccatorum, ut sit ejus causa efficiens, sed sequi ut effectum, qui oritur ex gratuita condonatione peccati. Ita enim inquit: *Cum non essent solvendo, condonavit utrisque debitum.* Ulter horum jam plus diligit talem creditorem? sine dubio ille plus diligit, cui plus dimissum est. Hæc sunt manifestissima. Et magna est temeritas, (ne quid dicam durius) contra hanc tam manifestam Christi sententiam diversum statuere, ex depravatione phariseos in illo dicto: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Sed inquit: Causalis est locutio, quoniam dilexit, &c. & quando effectum aliquem ponimus, cujus causam seu rationem mox nominamus, etiam scriptura ita solet

folet loqui. Ut Gen. 2. v. 3. Sanctificavit Deus septimum diem, quoniam in illo cessaverat ab omni opere. Respondeo: Nulla certior & verior est phrasium explicatio, quæ sit earum vis & proprietas in singulis locis, quam quæ ex rebus ipsis & manifestis scripturæ sententiis sumitur. Et sceleratum est, torquere, quando de sententiâ manifestè constat, phrasin contra manifestam sententiâ. Hæc una responsio sufficere posset; sed tamen etiam de phrasî responderi potest. Particula enim *ὅτι*, vel *quoniam*, non semper est causalis seu rationalis: sed sæpe etiam usurpatur, quando argumentum ab effectu, sive, quando ex consequenti ostenditur antecedens. Ut si dicam: Oporteret solem ortum esse; quoniam dies est. Video Herodem & Pilatum reconciliatos esse: quoniam reverentia & officii benevolentia inter se certant. Ita Christus ex fructibus dilectionis ostendit, remissionem peccatorum jam præcessisse. Nam cui *dimissum est, is diligit*. Hæc manifesta sunt, nec eludi ullo modo possunt. Ita enim Christus de debitoribus verbis nec obscuris, nec ambiguis loquitur: & ipsam phrasin mox explicat. Cum enim dixisset: *Dimissa sunt ei peccata multa; quoniam dilexit multum*: Mox ut ordo causæ & effectus rectè intelligatur, addit, *Cui verò parum dimittitur, is parum diligit*. Iterum ergo affirmat remissionem peccatorum præcedere, & dilectionem sequi, ne quis de parabola tergiversetur. Idem confirmatur ex illa quoque phrasî. Cum dixisset *debitum condonatum utrisque* proponit quæstionem: *Uter horum plus diliget*, in futuro; *ἕως ἄρας* autem, seu gratis donavit, in præterito. Dilectio itaque sequitur post remissionem jam factam: sicut futurum post præteritum. Latina versio non parum adjuvit occasionem erroris. Ita enim habet: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*. Visa fuit dilectio juxta hanc versionem præcessisse, quam postea subsecuta sit remissio peccatorum. Quidam legerunt: *Remittantur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Sed Grammatici simpliciter affirmant (sicuti etiam supra cap. 43. indicatum est) *ὅτι* non esse præsentis, sed præteriti temporis: nec optativi, sed indicativi modi: Hæc contra corruptelas Pontificiorum, ex veris & solidis firmamentis opponenda fuerunt, ut absterfis Pharisæicis sordibus, sententiæ suæ genuina puritas restituatur, constet & conservetur.

Non autem cum adversariis tantum litigandum est: sed quæ rendera etiam est doctrina, quæ utilis sit ad ædificationem. Et est hæc; quod Christus docet post acceptam remissionem peccatorum, quæ sine nostris meritis, gratis, fide, propter Christum fit, sequi debere dilectionem. Et quidem ex dilectione tanquam ex certo testimonio probat, mulierem illam non esse amplius peccatricem & adversariam Dei, sed jam esse reconciliatam cum Deo: quia inquit, *vides, quàm multum diligit*. Et addit: quando quis vel profus nihil, vel parum diligit, signum esse, nullam ibi adesse remissionem peccatorum, vel langvide & frigide illam quæsitam & acceptam esse. Sicut & Johannes dicit: qui non diligit, signum est, ipsum non esse translatum ad vitam sed manere in morte. 1. Joh. 3, 14. Et hæc commonefactio singulis est valde necessaria ut examinemus nos, ne decepti fingamus nos habere

remissionem peccatorum, cum fructus longè diversum testentur. Per dilectionem enim, ut Lutherus inquit, justificatio nostra non tantum aliis manifestatur, sed & sibi ipsi certa redditur, ne forsitan simulata & mortua fide nos deciperimus.

Illud verò hoc loco præcipuè observandum est, quod Christus ostendit, ex quo fonte oriatur vera dilectio. Quam diu enim debitor cogitat creditorem esse rigidum exactorem, cui, licet varia tentet, tamen non possit satisfacere, sed timendum esse, ne aliquando, vel cum omnibus suis vendatur. Mat. 18. v. 25. vel in carcerem conjiciatur, Mat. 5, v. 25. non potest creditorem verè & ex corde diligere, sed vel manifestè, vel tacitè odit, aut certè contemnit ipsum: & licet aliquando blandiatur ipsi, non tamen ex animo ipsum diligit. Ita mens ignara gratiæ reconciliationis, cui certo & tuto inniti possit, aut contemnit Deum, aut fugit & odit iratum. Sine Evangelio igitur, quod annuntiat & donat remissionem peccatorum, vera dilectio Dei nec inchoari nec existerere potest: nec possunt esse verè opera charitatis, quæ Pharisæi, qui in lege justitiam quærunt, præstant. Sed quando creditor illis, qui non sunt solvendo, gratis condonat debitum, tunc sequitur, *cui plus dimissum est, ille plus diligit*. Et servus quidem ille nequam Matth. 18. v. 28. egressus, dilectionis obliviscitur: sicut multi, qui post acceptam reconciliationem, ad vomitum revertuntur, 2. Pet. 2. v. 22. Sed Christus loquitur de ordine divinitus instituto, & de proprietate vera fidei, quod eam debeat sequi dilectio. Quando enim dilectio vel non sequitur, vel amissa est, signum est, vel fidem non esse veram, vel si adfuit, rursus amissam esse. Et hæc singuli cogitare debemus. Nota enim esse debet doctrina parabola, Matth. 18. v. 23. Simul verò in quotidianis pietatis exercitiis usurpanda est hæc pars doctrinæ, quomodo & quibus commonefactionibus & meditationibus vera dilectio per Spiritum sanctum inchoari, excitari, conservari & retineri possit, ut fides ducat considerationem per partes hujus parabola. Debeamus magnam summam: non eramus solvendo: lex jam pronuntiabat sententiâ damnationis: ibi gratis propter filium Deum condonavit debitum: imo debitores, jam ad carcerem condemnatos, adoptavit in filios. In hoc exercitio fidei Spiritus sanctus adest, & illa consideratione voluntatem & cor renatorum movet, ut incipiant velle & conari illa, quæ mens ex verbo agnoscit Deo grata esse, utque fiat illud cum quadam delectatione & lætitia in Deo, ad hunc finem principalem, ut Deo præstetur honos & lætitia.

Quando igitur sentimus dilectionem Dei in nobis vel frigere, vel concidere, his cogitationibus nos ipsos exsuscitemus, & aderit efficacia Spiritus, qui per verbum Evangelii accendit, conservat & auget dilectionem Dei in nobis. Et semper nobis insonet sententiâ: *Cui parum vel nihil dimissum est, parum vel nihil diligit*. Hæc in seriis exercitiis rectius intelliguntur, quam in nudis disputationibus. Ostendit enim Christus in responsione ad Simonem, dilectionem non sitam esse in externis & perfunctoriis operibus, sed esse ardens studium animi, cupientis & conantis, quacunque ratione potest, honorem & obedientiam præstare, & gratum

gratum aliquid facere ei, quem diligit. *Veni, inquit, in domum tuam, non aquam dedisti pedibus meis: illa vero non desinit lacrymis lavare, & capillis tergere, &c.* Oscula & unctionem pedum Christus per se non curasset: sed iudicat illa ex animo, in quo ardet dilectio, ostensura, si quid haberet pretiosum, imo omnia quaecunque habet, se Christo offerre. Hoc modo dilectio pertinet ad veram poenitentiam seu conversionem. Conversam enim esse hanc peccatricem Christus inde ostendit, quod non perseverat aut pergit in peccatis; sed Deum, quem hactenus contemptu & odio offendit, nunc summe timet, honorat & diligit. Sed hoc in sequenti membro plenius explicabitur.

Postremo est & ille locus observandus, quod Simon apud se cogitat; *Si hic Propheta esset, sciret utique & qualis sit illa mulier, quae tangit ipsum.* Verbum Dei severe mandat, cavendam & vitandam esse consuetudinem cum impiis. Psal. 1. v. 1. Beatus qui non ambulat in consilio impiorum. Psal. 26. v. 4. Non sedi in concilio vanitatis, & cum iniquis non introibo: odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Ies. 52. v. 11. Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis. Et idem significabat illa paedagogia legis, quae ab immundis separari jubebantur. Lev. 10. v. 10. & 11. v. 11. Num. 35. v. 33. &c. Phariseus igitur cogitat: Si sciret Iesus Nazarenus, quam flagitiosae vitae sit haec femina, non pateretur sibi ab illa exhiberi, si ve servitia sive officia. Tam honorifice enim sentit de Christo, quod existimat ipsum non commissurum, ut contra verbum Dei vel minima aliqua significatione societatis cum muliere ista se polluat, si sciret quae & qualis esset. Iudicata autem ex ignorantia hoc fieri, quod in civitate illa satis ampla singulas personas, quales essent, non exacte nosset. Rursum vero cogitat: Tamen Prophetae talia saepe in Spiritu videntur, & cognoverunt: Ut 3. Reg. 14. v. 6. Abias agnoscit uxorem Jeroboam. 4. Reg. 1. 3. Elias legatum Ochosiae, & quid in mandatis haberet. Ita 4. Reg. 5. v. 26. Elisaeus in spiritu videt, quid Giezi absens agat. Ergo si hic esset Propheta ille, qui in mundum venturus est, Deut. 18. v. 18. sciret utique qualis sit haec mulier. Non autem pateretur se ab illa tangi, si sciret. Sed Christus ad cogitationes illius respondens ostendit, se plus esse quam prophetam. Considerandum autem est, quomodo ad quaestionem illam respondeat. Multa enim illa responsio docebit. Et alibi quidem respondet ad illam objectionem, quod publicanos & peccatores appropinquantes, ut audirent ipsum, non rejiciat & repudiet. Hoc vero loco ad alterum respondet, nimirum, scire se quidem quam immensae summae debitoris sit haec mulier peccatrix: quod autem illam recipiat, & ad communionem suam admittat, non fieri quasi scelera ipsius probet, vel quasi eam ita in securitate malae vitae confirmare velit. Sed ostendit 1. Signa contritionis. 2. fidei, quomodo querat remissionem peccatorum. 3. dilectionis, seu emendationis. *Vides, inquit, hanc mulierem.* Peccavit: sed jam agnoscit, dolet, desinet, & detestatur peccata. Vides quam sollicitè quaerat, ut Deo reconcilietur. Vides ipsam non amplius haerere in pristinis flagitiis: sed conversam esse. Membra enim sua, quae antea fuerant organa Diaboli ad flagitia, jam

praebet arma iustitiae Deo. Et quia ardens dilectio testimonium est, Deum ipsi peccata jam remississe, Ecclesia non debet durior esse ipso Deo, ut illum rejiciat & damnet, quam Deus jam recepit & salvavit: sed debet talem receptionem Dei suo etiam testimonio comprobare, & publicè quasi promulgare. Pharisei verò simulatione quadam magni zeli notorios peccatores, etiam quando convertebantur, non facile ad communionem recipiebant. Et ideo Simon ulterius cogitat, non decere ministerium Christi, ut peccatricem tam cito & tam facile admittat atque recipiat. Propheta enim debet multò severior atque durior esse erga peccatores, quam alius quisquam. Sed Christus in responsione sua: 1. concedit, communionem cum peccatoribus non esse vel approbanda vel confirmanda peccata, sed probat legem Dei, quae jubet, ut subducamus nos à talibus, ut ita pudeant. 2. Quando verò poenitentiam agunt, quaerunt reconciliationem, & testantur emendatione vitae se esse conversos, ostendit non esse repellendos, sed benigne invitandos & recipiendos. Ecclesia enim debet sequi Dominum suum, ne illos rejiciat, quos Deus recepit. 3. Praecipue verò ad illos, qui in ministerio versantur, ostendit hanc curam pertinere, ut peccatores ad poenitentiam invitent, venientibus quasi obviam eant, manum porrigant, admittant & recipiant, nec absterreantur & relabantur: sed in eo, quod coeperunt, confirmari pergant. Ideo Christus, conversus ad mulierem illam, inquit: *Dimissa sunt tibi peccata: fides tua te salvam fecit. Vade in pace.* 4. Nec tamen leviter, sine certa comprobatione & testificatione verae & serioe conversionis, receptio illa fieri debet, ne & Ecclesia offendatur, & ipse peccator simulatione poenitentiae decipiatur. Christus enim ostendit evidenti signa & manifesta testimonia, quibus comprobatur, mulierem hanc verè & serio esse conversam. *Vides, inquit, hanc mulierem &c.* Et diligenter observandum, quomodo publici peccatores post conversionem rursus in communionem Ecclesiae recipiendi sint, seu, ut brevius dicam quae debeat forma esse publicae absolutionis in recipiendis iis, qui publici fuerunt peccatores. Ad mulierem, cujus conscientia luctabatur cum sensu peccati & irae Dei, conversus, publicè omnibus audientibus eam absolvit: *Remissa sunt tibi peccata tua.* Illam verò absolutionem, quae ad conscientiam pertinet, non vult niti debere dilectione, sed inquit, *fides tua te salvam fecit.* Quando verò Simoni & reliquis convivis, qui fidem cordis inspicere non possunt, vult ostendere, peccatricem hanc non esse amplius fugiendam & damnandam, sed recipiendam; ex signis & fructibus poenitentiae, & dilectionis probat ipsam esse conversam, & cum Deo ei peccata remisit, id quod ardens dilectio testatur, æquum esse, ut & Ecclesia eam recipiat. In publica igitur absolutione. 1. Conscientia peccatoris consolanda, & confirmanda est, annunciatione remissionis peccatorum, quae fide Mediatoris Christi nitatur. 2. Ecclesiae ex fructibus, signis & testimoniis conversionis, ostendendum est, peccatorem illum, jam in communionem recipiendum, pro fratre agnosendum, & de ejus conversione latandum. Ita Lutherus in disputatione quadam, de duplici absolutione hunc

textum

textum explicat. Aliter enim Christus loquitur ad ipsam mulierem, quando conscientiam ipsius absolvit: *Fides tua te salvam fecit*: & aliter ad Pharisaum. Ad hunc enim inquit: *Tibi dico*, id est publice vobis significo, mulierem hanc publica fama, propter notoria flagitia notatam & damnatam, jam propter publicam ejus dilectionem seu confessionem esse publice ab Ecclesia absolvendam à publica sententia, seu excommunicatione: id quod coram Ecclesia, quæ cor intueri non potest, aliter fieri non potest, nisi ostendantur fructus digni pœnitentia. Conscientia verò peccatoris,

ut habeat firmam consolationem, non ad dilectionem quæ imperfecta & immunda est, releganda est, sed ad fidem nitentem Mediatore Christo deducenda est, sicut Christus inquit: *Fides tua te salvam fecit*. Et hic considera exemplum Apostoli Pauli, an non hanc Christi Domini sui doctrinam observavit. 2. Cor. 2. v. 6. in recipiendo incestuoso illo Corinthio, intra Ecclesiæ communionem, quem prius, 1. Cor. 5. v. 3. excommunicandum censuerat. Studeamus igitur & nos eodem modo ad doctrinam & facta Christi nos accommodare.

## CAPUT LVIII.

CONTINENS HISTORIAM PEREGRINATIONIS CHRISTI, PER CIVITATES ET CASTELLA, CUM APOSTOLIS  
Et MULIERIBUS QUIBUSDAM,  
LUCÆ 8. v. 1.

## RATIO ORDINIS.

**P**ost historiam de peccatrice, Lucas hanc peregrinationem ponit. Et non est dubium eam hoc ordine sequi. Etenim eam cum sequentibus hoc modo connectit: *καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καζέης, & factum est deinceps*, ostendens se historiam (ut ita dicam) continuare, & quid post absolutionem peccatricis secutum sit, indicare. Ab *ἐξεδου* enim, unde *καζέης* deducitur, est *ἐξόδιον*, quod proximè & quasi continua serie sequitur. Est autem hæc profectio alia ab ea, quam Matthæus c. 4. v. 23. & Marcus c. 1. v. 39. descripsit, & supra c. 4. 1. harmoniæ est exposita. Hæc enim accidit ante secundum Pascha ministerii Christi, ubi *ὄλην τῷ Γαλιλαίῳ* totam Galilæam circumviit. Est item alia ab ea, quæ describitur Matth. 9. v. 35. & Marc. 6. v. 6. ubi rursus quasi generalem visitationem Synagogarum, in civitatibus & castellis illorum, scilicet discipulorum, qui plerique ex Galilæa oriundierant, instituit. Hæc enim demum post suscitatum Jairi filiolum accidit, paucis nimirum mensibus ante tertium Pascha, quod incidit in ministerium Christi: sicuti de eo etiam in 4. Prolegom. actum est. Hæc autem profectio, quæ hoc loco à Luca describitur, accidit, ut apparet, antequam Dominus transfretaret in terram Gadarenorum, ex qua rediens demum filiolum Jairi suscitavit.

Itaque Christus hunc etiam secundum ministerii sui annum magna ex parte profectioibus & peregrinationibus Galilææ consumpsit. Etenim, licet Dominus Jesus, Matth. 4. v. 13. habitationem suam transtulerit ex civitate Nazareth in nobile, illud emporium Capernaum, unde & ipsius civi-

tas dici cœpit, Matth. 9. v. 1. tamen ex eo tempore, quo Pharisei cum Herodianis contra ipsum conspirant, ob sanatam manum aridam in Sabbato, Matth. 12. v. 14. quia nondum hora ipsius venerat, non multum hæsit in urbe, sed per secessus & profectioes ipsorum insidias declinavit. Aliquoties tamen eam ingressus est, quoties nimirum sciebat, illud gloriæ divini sui nominis conducere, & aliquos sibi lucriferi posse: sicuti id bis nunc, tum in Centurione, tum in peccatrice factum esse vidimus.

Quia verò gravi ista compellatione, qua in præcedenti capite Simonem Pharisaum notavit, quod frigide admodum se curaret & amaret, absque dubio aliquos ex convivis, qui minus benevole ergo Christum erant animati, offenderat, ne presentia sua ipsorum livorem & odium amplius accenderet, mox rursus eum ad tempus declinandum censuit, atque propterea hanc profectio- nem in civitates & castella instituit. Cui non opus est ita multum temporis tribuere: quia non totam Galilæam peragravit, quæ habuit, Josepho teste, civitates *πικνὰς*, frequentes, crebras & densas, sed tantum aliquas adiit. Unde & Lucas simpliciter dicit *διώδευε*, quasi obiter permeans iter fecit. Osiander quidem in annotat. lib. 2. c. 9. & 10. dicit illum secessum Christi, qui Matth. 12. v. 15. post sanatam manum aridam describitur, eundem esse, cum his, quæ Lucas hoc loco commemorat: sed nec probat, nec ipse ea in Harmonia conjungit. Iccirco nos, sine præjudicio aliorum, huic profectio- ni hunc locum attribuemus. Et post hanc historiam pulchre sequetur, quod Marcus c. 3. v. 20. dicit, *Jesum domum rediisse*, ex hac scilicet profectio- ne, sicuti postea ostendemus.

HISTORIA PEREGRINATIONIS CHRISTI PER  
CIVITATES ET CASTELLA.

LUCÆ 8.

1. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ καζέης, καὶ αὐτὸς διώδευε καὶ πόλιν, καὶ κώμην, κηρύσσων τὸ ἐванγγελιόν. τῷ βασιλείῳ ἔειπεν, καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ.

1. Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella, predicans & evangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo.

2. Καὶ